



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

V. Christum, vnam eandemq[ue], Maiestatem diuinam, aliter vt Deum,  
nimirum essentialiter & vt essentialem proprietatem, aliter vt hominem,  
videlicet no[n] essentialiter, neq[ue] in & secundùm sese, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

Augustinus contra Felicianum Arianum  
cap. 11. Iniuria sui corporis affectam non fa-  
teor Deitatem, sicut Maiestate Deitatis glo-  
rificatam nouimus carnem.

Theodoretus cap. de Antichristo; Ver-  
bum homo factum non particularem grati-  
am contulit assumptæ naturæ, sed totam ple-  
nitudinem deitatis complacuit in ipsa habi-  
tare.

Idem in Psalmum 21. Si natura assumpta  
cum diuinitate assumente est copulata, et-  
iam eiusdem gloriæ & honoris particeps &  
consors facta est.

Idem Ebr. 1. Ipsa humanitas post resur-  
rectionem, diuinam gloriam est consecuta.

Damascenus lib. 3. cap. 7. & 15. *ἡ αὐτὴ μὲν (ἡ  
θεῖα φύσις) τῶν οἰκείων ἀρχμάτων τῆ σαρκὶ μεταδί-  
δωσι, μένουσα αὐτῇ ἀπαθῆς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν  
ἀμέτοχος.*

Diuina natura proprias suas excellentias  
seu glorificationes carni communicat seu  
impertit, ipsa verò in se passionum carnis  
manet expers.

V.

*Christum, unam eandemq; Maie-  
statem diuinam, aliter ut Deum, nimirum  
essentialiter & ut essentialem proprietatem, aliter ut  
hominem, videlicet nõ essentialiter, neq; in & secun-  
dum sese, sed pro ratione & modo vnionis  
personalis habere.*

Iii

Iohan.

Tom. 2.  
pag. 411.

Tom. 1.  
pag. 1, 10.

Pag. 194.

Iohan. 14. Ego sum vita.

Iohan. 5. Dedit ei vitam habere in seipso, quia **FILIUS HOMINIS EST.**

Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 15. Conditio & proprietates alia creaturæ, alia creatori inest, sed **NATURA NOSTRA** à filio Dei assumpta mensuram suam excessit & in conditionem assumptis eam per gratiam translata est.

Tom. 1.  
pag. 134.

Idem in Iohannem lib. 2. cap. 144. Christus causam subiecit, quare vitam & potestatem iudicij sibi à Patre data dixerit, dicens (quia Filius Hominis est) ut intelligamus, omnia sibi data esse ut **HOMINI.** Unigenitus verò filius non vitæ particeps, sed vita naturaliter est.

Tom. 1.  
pag. 181.

Idem lib. 3. cap. 37. Viuificat **CORPUS CHRISTI**, quia ipsius vitæ corpus est, virtutem Verbi incarnati retinens, & plenum potestate illius, quo vniversa sunt & viuunt.

Pag. 201.

Idem lib. 4. cap. 14. Quoniam Saluatoris **CARO** coniuncta est Verbo **DEI**, quod naturaliter vita est, effecta est viuifica.

Pag. 204.

Et cap. 18. **CORPUS MEVM** vita repleui, mortalem carnem assumpsi, sed quia naturaliter vita existens habito in ipsa, *totam ad vitam meam reformauit.*

Pag. 210.

Cap. 24. **NATURA CARNIS** ipsa per se viuificare nõ potest, nec sola esse in Christo intelligitur, sed habet filiũ Dei sibi coniun-

ctum

etum, qui substantialiter vita est. Quando igitur viuificam Christus carnem suam appellat, non ita illi, vt sibi siue proprio spiritui, vim viuificandi attribuit. Nam per se ipsum Spiritus viuificat, ad cuius virtutem Caro per coniunctionem cōscendit. Quo modo autem id fiat, nec mente intelligere nec lingua dicere possumus, sed silentio ac firma fide id suscipimus.

Idem lib. 10. cap. 13. Caro vitæ facta vni- Pag. 501.  
geniti caro ad virtutem vitæ reducta est.

Idem lib. 11. cap. 12. Ipsa CARO CHRIS- Pag. 552.  
TI non à se sancta fuit, sed coniunctione Verbi ad Verbi virtutem quodammodo re-  
formata, salutis atque sanctificationis causa est participantibus: Non ergo carni, vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed natura Verbi attribuimus.

Lib. 6. Dialog. Glorificatur à Patre non quia DEVS, sed quoniam erat HOMO, quasi propriæ naturæ fructum non habens, potentiam operandi efficaciter, diuinè accipit quodammodo illam, per vnionem & ineffabilem concursam, qui intelligitur DEI esse Verbi cum humanitate.

Idem de recta fide ad Theodosium: Im-  
misit assumto corpori suam vitam, ipsa per vnionem dispensatione.

Ibidem: Viuificat Verbum propter ineffabilem natiuitatem ex Viuente Patre, Atta- Pag. 278.

Pag. 279.

men est videre, vbi tribuatur etiã proprie car-  
ni diuinæ efficacia gloriæ. Item, Otiosam confit-  
tebimur terrenam carnem ad hoc, vt possit  
viuificare, quatenus pertinet ad propriam  
eius naturam.

Epiphanius contra Ariomanitas pag. 337.

ἢ γὰρ αὐτὴ ἐνανθρώπησις ἢ κατ' ἰδίαν πρὸς ἑσά, ἢ γὰρ ἀπο-  
κεχωρισμένης τῆς θεότητος, ἢ χωρὶς ἕσσης τῆς ἐναν-  
θρωπήσεως ἕλεγχως ἄλλο καὶ ἄλλο, ἀλλὰ συναμένης  
τῆς ἐνανθρωπήσεως τῇ θεότητι, μιᾶς ἕσσης ἀμαρτίας,  
καὶ ἥδη ἐν αὐτῇ τὰ τελειότατα ὄψασθαι, οἷα δὴ ἐν θεῷ  
συννηωμένη καὶ εἰς μίαν θεότητα συναμμένη.

Humanitas enim illius non seorsim per se  
subsistit, non enim separata Deitate & seor-  
sim existente natura humana dicebat, velut  
alius & alius, sed cointa humanitate cum  
Deitate, vna existente sanctificatione, & iam  
in ipsa quæ perfectissima sunt, sciente, ni-  
mirum in Deo & in vnam Deitatem co-  
aptata.

Tom. 10.  
pag. 217.

Augustinus de verbis Domini Sermone  
58. Ego verò DOMINICAM CARNEM, imò  
perfectam in Christo humanitatem ideo  
adoro, quòd à Diuinitate suscepta & Deita-  
ti vnita est, & non alium & alium, sed vnum  
eundemque Deum & hominem filium Dei  
esse confiteor. Denique si hominem se-  
paraueris à Deo, illi nunquam credo nec  
seruio.

Item:

Item: Humanitatem NON NV DAM vel  
solam, sed diuinitati vnitam, scilicet vnum  
Dei filium, Deum verum & Hominem ve-  
rum, si quis adorare contemserit, æternali-  
ter morietur.

Augustinus de ciuitate libro 10. cap. 24.  
Non ergo caro Christi PER SE IPSAM mun-  
dat credentes, sed per verbum, à quo susce-  
pta est.

Ephesiaum Concilium Canone 11. Si  
quis non confitetur, carnem Domini esse  
viuificam propterea, quod propria facta est ver-  
bi, quod omnia viuificat, anathema sit.

Theophylactus Ioh. 3. καὶ πάντα δέδωκεν ὁ  
πατὴρ τῷ υἱῷ καὶ τὸ ἀνθρώπινον. εἰ δὲ καὶ τὸ θεϊκόν,  
καὶ τὸ θεῖον; δέδωκεν ὁ πατὴρ τὰ πάντα τῷ υἱῷ, λόγῳ φύ-  
σεως, ἀλλ' ἔχαιετο.

Omnia dedit in manum Filij iuxta huma-  
nitatem: si autem & secundum diuinitatem  
intelligatur, Dedit Pater omnia Filio ratione  
Naturæ, non gratiæ.

Idem Matth. 28. εἰ μὲν ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ λόγῳ  
λεγόμενον ἐκλάβοις, ὅτι ἐδόθη μοι ἡ πάντα ἐξουσία,  
καὶ ἅπαντες καὶ ἐκόντες νῦν ὀπινησάμενοι με θεόν,  
καὶ παρῶν κατὰ τὴν ἀκούειν ὑποταγῆς τρέπον δε-  
κνούμενοι μοι. εἰ δὲ ὡς ἀπὸ τῆς ἀνθρώπινης φύσεως λεγ-  
όμενον, ἔγωγε, ὅτι ἐγὼ ἡ παρῶν κατὰ φύσιν,  
καὶ ὅτι τὴν πᾶσαν ἐξουσίαν ἔδωκα ὑμῖν, ἀλλ' ἔχαιετο.

Si de diuinitate Deo verbo intelligas (Data est mihi omnis potestas) sensus erit, & nolentes & volentes nunc me Deum agnoscunt, qui prius mihi seruibant inuoluntariae obedientiae modo. Si autem de **Η Ν Υ Μ Α** natura dicitur, sic intellige: Ego prius *condemnata* natura existens autem **DEVS** secundum unionem ad filium Dei, absque naturarum confusione accepi potestatem omnem.

Damascenus lib. 3. cap. 17. ἡ γὰρ κατ' οἰκείαν ἐνέργειαν ἀλλὰ διὰ τὴν ἑνωμένην αὐτῇ λόγον τὰ θεῖα ἐνέργει, ἢ λόγος δὲ αὐτῆς τὸ οἰκείον ἐνδεικνυμένη ἐνέργειαν. καὶ μὲν γὰρ ὁ πεπερασμένος ἀίδιος, ἢ φυσικῶ λόγος τὸ κατὰ φύσιν κειμήλιον ἐνέργειαν, ἀλλ' ἐκ τῆς πρὸς τὸ πῦρ ἐνώσεως ἢ το κατὰ φύσιν αὐτὴ τοιγαρὶν ἐπιτή τε λόγος δὲ αὐτῶν, καὶ ζωοποιὸς δὲ τὸ πρὸς τὸν λόγον καθ' ὑπόστασιν ἐνώσειν.

*Non secundum propriam operationem, sed propter unitum sibi verbum diuina operabatur (Caro Domini) Verbo per eam, propriam suam operationem manifestante. Nam & ferrum ignitum vrit, non naturalitate possidens vtricem operationem, sed obtinens eam ex unione ignis & ferri. Ipsa igitur CARO DOMINI mortalis erat propter seipsam, ET VIVIFICA propter hypostaticam ad verbum unionem.*

Idem cap. 18. ἡ θεῖα ἀπὸ (Χριστῶ) θελήσει ἀρχὴς τε καὶ πάντες γὰρ λόγος &c. ἢ ἡ ἀνθρώπινη

αὐτὸ θέλησις ἀπὸ χρόνου τε ἤρξατο, καὶ αὐτὴ τὰ φυσικὰ  
καὶ ἀδιέλπητα πάθη ὑπέμεινε, καὶ φυσικῶς μὲν ἔπαι-  
νοδύναμῳ ἔω, ὡς ἡ Ἁγία τοῦ λόγου, ἀληθῶς καὶ κατὰ φύ-  
σιν ἡμοίωθη καὶ παντοδύναμῳ.

Diuina Christi voluntas erat æterna & o-  
mnipotens, HUMANÀ VERÒ eius voluntas à  
tempore cœpit, & naturales ac innoxias affe-  
ctiones sustinuit. Et naturaliter quidem non  
erat omnipotens, vt autem verè & secundùm  
naturam Dei verbi voluntas est facta, & omnipotens  
est. Hoc est, sicut commentator explicat: Di-  
uina voluntas suapte natura habet potentiam  
omnia efficiendi, quæ velit: Humana ve-  
rò Christi voluntas non sua natura habet o-  
mnipotenciam virtutem, sed vt Deo verbo v-  
nita.

In libro eodem cap. 21. ἡ μὲν ἀνθρώπινη φύ-  
σις ὑσιωδῶς ἔκείνηται τῶν μελλόντων τῶν γνώσιν, ἡ  
ἡ κρείσσονα ψυχὴ διὰ τῶν πρὸς αὐτὸν ἔργων ἐγνωσιν καὶ  
τῶν ὑποστατικῶν τιμῶν, κατεπλήθησε μὲν αὐτῶν λοι-  
πῶν θεοσημιῶν καὶ τῶν τῶν μελλόντων γνώσιν. Et in  
fine capituli: ἡμεῖς ἡ δεασότις αὐτὸν φημὶν καὶ κρεί-  
σσον πάσης τῆς κτίσεως ἢ ἕνα Χριστὸν, ἢ αὐτὸν ὁμῶς θεόν  
τε καὶ ἀνθρώπον καὶ πάντα εἶδέναι. ἐν αὐτῷ γὰρ εἰσὶ πά-  
ντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως οἱ ἀπό-  
κρυφοί.

Humana natura in Christo essentialiter  
non possidet seu obtinet futurorū cognitio-  
nem, sed vt Domini Anima, propter vnionem  
& ipsum D E V M Verbum, locupletata est



cum reliquis diuinis prædictionibus etiam futurorum cognitione. Et in fine capituli: Nos ergo dicimus, vnum Christum, eundemque simul Deum & hominem omnia scire. In ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt.

Idem lib. 2. cap. 22. εἰ γὰρ καὶ τῆς ἀγνοίας τὰ μέλλοντα φύσεως ἡμεῶν ( ἢ κυρίου ψυχῆ ) ἀλλ' ὁμοῦ καὶ ὑπόστασιν ἐνωθεῖσα τῷ θεῷ λόγῳ, πάντων πῶ γινώσκων εἶχεν ὁ χρεῖται, ἀλλὰ διὰ πῶ καὶ ὑπόστασιν ἐνωσιν. Et paulò post: ὅτι ὁ θεὸς κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐπεὶ δὴ μὲν διάφοροι αἱ φύσεις, διάφοροι καὶ αἱ θελήσεις φυσικαί, ἤγουν θελητικαὶ δυνάμεις.

Domini anima etsi secundum se erat naturæ futura ignorantis, attamen secundum hypostasin vnita Deo Verbo, omnium cognitionem habebat, non ex gratia ( seu participatiuè ) sed propter hypostaticam vnionem. Et paulò post: Et quia in Domino nostro Iesu Christo naturæ differunt, etiam naturales scientiæ & voluntates Diuinitatis & Humanitatis, &c.

## VI.

*Deitatem nunc Maiestatem, potentiam & efficaciam suam ( quæ Deitatis propria est & manet ) efficaciter exerere, in, cum & per humanitatem personaliter sibi vnitam, quæ Maiestatem illam inde consecuta est, quòd tota plenitudo Deitatis in assumpta carne & sanguine Christi habitet personaliter.*

Rom.